



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Quartò, Deipara imitanda in eximio erga Christum Amore, n. 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

cellitudinē, & magnificentiam throni perscrutari non possumus, saltem in sauros ejus humilitatis interdum perscrutemur, ut deinceps ejus intervenientibus meritis, ad gloriam donorum pertingere valeamus: nam humilitas custos reliquarum virtutum est. haecenus ille. Et haec satis sint de humilitate Virginis. reliqua enim, quae ad hanc Deiparae virtutem spectant, fusius persecuti sumus c. 12. & 21. ubi plures eiusdem actus expenduntur.

**Bonaavent.** Illud tamen minimè ornittendum, quod sanctus Bonaventura in Speculo B. Virginis cap. 8. contra eos, qui de bonorum operum fecunditate superbiunt, pulchrè in beatissima **Genes. 16.** Virgine observat: Legitur, inquit, in Genesi de ancilla Sara, quod concepisse se videns, despectit Dominam suam; Mala ergo ancilla Agar de fecunditate inflatur, bona vero ancilla Domini Maria de humilitate fecundatur. Ancilla illa superba Dominam despectit, Ancillam illam humilem Dominus respexit, sicut ipsa humiliter recognoscens dicit: Respexit humilitatem ancilla sua. O anima Christiana, Domini ancilla, sic cum Maria amplectere fecunditatem, ut nequaquam deseras humilitatem, ut ergo de boni operum fecunditate non inflaris, sed magis de humilitate fecundaris, attende humilem ancillam, respice humilem Mariam. haec Bonaventura,

**Augustin.** Augustinus de symbolo ad Catechumenos libro 4. cap. 5. cum ad virginitatem servandam fideles hortaretur: Gaudete, inquit Virgines sanctae, ut propter Christum non vos contristet stilitas, quarum fides magna est fecunditas. Nec doleatis non vos esse matres, qua spiritualiter generatis. & mox imitamini fideles Mariam Capitis vestri. Quod tanta matri contulit, & in sua carne servavit, hoc etiam nobis donavit. Virgo Mater sancta, caro Christi ab omni contagione libera. haec Augustinus.

**TERTIO, DEIPARA IMITANDA**  
da in virginitate purissima.

**Tertio, imi- TERTIO,** virginitas in Deipara maximè elucet: de cuius virginitate aliquid c. 21. & copiosius egimus capite 32. Haec virtus multis nominibus à Deipara exigitur ab ijs, qui eiusdem colendae studio tenentur.

**Damasc.** Ideò Damascenus oratione 2. de dormitione: Virgo ipsa est, & Virginum amans: Pura est, & purorum amans & Sophron. sermonede Assumptione: Christus matrem Virginem elegit, ut ipsa

omnibus esset exemplum castitatis. Ambrosius libro 2. de virginitate: Sit, nobis, inquit, tanquam in imagine descripta virginitas vestra, beata Maria, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis: Propterea Chrysostomus in sermone de beata Virgine: Quaecumque, inquit, estis Virgines. ad Matrem Domini confugite illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conferuabit. Ideoque qui eius deuotioni se dedunt, castitatem purissimam animae, & corporis praecipue colant: sic enim & ipsi, & eorum obsequia Virgini grata erant Legitur enim in Speculo exemplorum dist. 9. & numer. 26. de Juvene quodam impudico, cui cum Virginem frequentissimè collaudaret in vasta quadam solitudine eturienti Virgo sanctissima in vasis turpibus, & immundis epulas obtulit delicatas: sed cum juvenis propter vasorum immunditiam comedere se posse negaret: Laudes (inquit Virgo) quas mihi offers, bonae sunt: sed cor tuum immundum est; Ideò tuis laudibus non delector. Qua visione admonitus respuit, vitamque meliorem instituit.

**QVARTO, DEIPARA IMITANDA**  
da in eximio erga Christum amore.

**QVARTO,** quod in Virgine imitemur est amor eximius, quo Christum filium est complexa; eum enim non solum concepit, peperit, lactavit, educavit, & cum in Templo amississet, sollicitè quaesitum invenit: Sed etiam in toto vitae decursu nunquam deseruit, eique momenti in Cruce, cum suam ipsius animam doloris gladius pertransiit, fortiter assistit, ut capite 8. 9. 10. & 11. dictum est. Post filij verò Ascensionem apud loca illa Christi memoria clara assidue versabatur, illaque crebro, & deuorè obibat.

Nam & in monte Sion, ubi praeciarissima nostrae salutis sunt celebrata mysteria, Virgo sanctissima hospitabatur, ibique animam filio reddidit: sic enim scribit Damascenus sermone 2. de dorm. Virg. In diuina, inquit, & inclita Ciuitate Davidis, in qua lex quidem fuit impleta Prophetarum, pronuntiata autem fuit lex spiritus, in qua typicam pascha peregit Christus legislator, & verum pascha, qui Deus est

uteris, & noui testamenti tradidit, in qua coenam mysticam suis discipulis Agnus Dei, qui mundi tollit peccatum, celebravit, & eis se ipsum tanquam vitulum saginatum sacrificavit, & verax vinea botrum calcavit in qua Christus aspicitur ab Apostolis surgens à mortuis, & fide facit Thomam, & per eum finibus terra quod sit Deus, & Dominus, duas in se ferens naturas, etiam postquam surrexit à mortuis Hac est arx Ecclesiarum. Hac est habitaculum Apostolorum: in Hac sanctissimi Spiritus in varijs sonis, & Linguis, & in specie igni effusus fuit adueniens Apostolis. In hoc cum ille Theologus accepisset, Deiparam subministra bat ei, ex quibus opus habebat. Hac est mater Ecclesiarum qua iunt per vniuersum orbem terrarum: in hac vitam egit Dei mater postquam filius surrexit à mortuis. In ea ergo beata Virgo iacebat super aliquem felicissimum lectum. haecenus Damascenus agens de loco dormitionis Deiparae. Eadem confirmat Aedreas Cretensis oratione prima de dormitione. Beda de locis sanctis cap. 3. Metaphrastes oratione de vita, & dormitione. Cedrenus in Compendio, & Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. & cap. 21. licet ad aliquod tempus Deiparam cum Ioanne Euangelista Ephesum intoruisse affirmant Patres Concilij Ephesini in Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum tomo 2. cap. 26. Cæterum alia sacra loca inuisebat, quemadmodum lib. 6. reuelat. S. Brigittæ cap. 10. ipsamet eidem S. Brigittæ reuelauit. Quod etiam testatur Ildefonsus sermone 9. de Assumpt. Virgo, inquit, sine dubio loca Dominicae Natiuitatis, Passionis, Sepulturæ, & Resurrectionis frequenter circumiens inuisere cupiebat. in istam locis lacrymas fundebat, & oscula imprimebat: deinde ad Apostolicum conuermium post intuitum Dominicorum locorum cum gaudio remeabat, hæc Ildefonsus. Eadem de Virgine meditat. Carthusianus lib. 4. de laudibus Virginis art. 1. Guarricus serm. 2. de Assumptione. Sophronius porro sermone de Assumptione: Ego, inquit, quod à quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ sit sum adhibeo, non sufficit, ut cogitare valeam quanto inde sententer cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur repleta Spiritu sancto celestium secretorum incitamentis; quia & si diligebat Christum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: nouis tamen quotidie inflammabatur presentia absens desideriorum affecti-

bus; tanto signidem validius, quanto diuini illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat diuini amoris, ita ut in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor conuinuus, & ebrietas perfusi amoris: nam & Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, & ex tota anima, atq; ex tota virtute quærendus, maxime tamen ab ea ardentius, cuius & Dominus erat, & filius. Fortassis ergo pra nimio amore in loco, quo sepulchus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus pijs pasceretur interuus amor obuius. Sic namque locus medius est hinc inde constitutus, ut adire posset ascensionis eius vestigia, & locum sepulturae, ac resurrectionis, & omnia, in quibus passus est loca inuisere, non quod iam uiuentem quæret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus. Hoc quippe habet impatientis amor, ut qua desiderat semper inuenire se credat. & mox. Denique amor Christi desiderium pariebat; desiderium verò gliscens quasi nouis reparabatur ardoribus, in tantum ut credam non nunquam quod omnia etiam, & semetipsam transcederet, quia omnino amor impatientis, quod amat non potest non videre. hucusque Sophronius.

Sanctissimam præterea Eucharistiam quotidie sumebat: si enim hoc de reliquis Christianis iam inde ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis testatur S. Lucas in Actis Apostolorum cap. 2. quanto magis de beatissima Virgine, quæ & diuinarum rerum cognitione longè maiori pollebat, & Christi amore flagrabat ampliori, id existimandum est? Hunc igitur Deiparæ erga Christum amorem pro nostro modulo habere nitamur, singula Christi præsertim morientis mysteria memoriæ nostræ meditatione repræsentemus; sanctissimam Eucharistiam crebro, ac deuotè sumamus, apud nos repotantes corpus illud esse ex purissimis Virginis sanguinibus efformatum, qua de re cap. 8. dixi sic enim Virginem imitantes, rem ipsi præstabitur gratissimam, & verò nobis maxime salutarem. Reliquas Virginis virtutes vide apud Ambrosium lib. 2. de Virgin. & apud alios: nos breuitatis studio has tantum inuere volumus, ex ijs, quas cap. 21. recensuimus.

Quotidie  
Virgo com-  
municaba-  
bat.  
Act. 2.

Ambros.